

Deo constituent hypostasim, & faciat subsistere, hoc non habet præcisè, quia est relatio, sed quia est divina, purissima, & infinita, adeoque substantia: quod autem sit divina, purissima, & infinita, habet radicaliter a divina essentia, quæcum identificatur. Vult ergo S. Doct. quod relationes divinæ habeant radicaliter a divina essentia, quod subsistant & subsistere faciant, non quia sunt relationes; licet tamen, ut sunt relationes divinæ, formaliter in se subsistant & subsistere faciant, quia sunt formaliter infinitæ, & purissimæ, & consequenter substantiæ. Hanc esse mentem D. Thom. patet ex ipsis verbis objectis, quibus expressè asserit, quod relationes divinæ constituent hypostasim, & faciunt eas subsistentes. Et in corpore eiusdem art. admittit opinionem, quæ docet, quod nihil, quod dicitur absolute de Deo potest intelligi ut distinctivum & constitutum hypostasis, cum ea, quæ absolute dicitur de Deo, significetur per modum essentia. Oportet ergo ponere distinctionem & constitutionem hypostasis in divinis id, quod primò invenitur non de pluribus dicit, sed mi soli convenire, quod non potest aliud esse, quam subsistentia relativa.

Inst. S. Thom. q. 9. seq. de pot. art. 5. ad 13. sic habet: In divinis proprietates personales hoc solum habent, quod supposita divinæ nature ab invicem distinguant, non autem sunt principium subsistenti nature divinæ; ipsa enim natura divina est secundum se subsistens: sed e contra proprietates personales habent, quod subsistant ab essentia. Quæ verba non possunt intelligi ad sensum præcedentis solutionis, si quidem sanctus Doctor dicat expressè, quod relationes non sunt principium subsistenti, sed quod solum distinguant supposita: ergo R. S. Thom. eo loco loqui de substantia absoluta, & essentiali, prout dicit respectum independentiæ, quam personæ habent ab essentia, non autem de subsistentia personali, importante perseitate incommunicabilitatis, & constituente principium Quod actionum notionalium, quam relationes habent formaliter ex se ipsis, non quatenus sunt relationes explicitæ, sed quatenus sunt divinæ, & infinitæ; radicaliter autem, quia identificatur cum essentia divina, ut dicitur est. Nec refert, S. Doctorem dixisse eas solum habere, quod supposita distinguant; per hoc enim non excluditur quod constituent, quia eo distinguunt, quo constituent, cum idem sit constitutum & distinctivum. Sic etiam intellige Aug. supra relatum, dum dicit, quod Omnis res ad se ipsam subsistat, quantum magis Deus. Item & id quod opponitur, quod ratio subsistentiæ sit quid absolute. Nisi forte dicas, subsistentiam etiam personalem esse aliquid absolute hoc sensu, quod non explicet relationem in actu exercito.

Obj. 2. Ideò rejecimus existentias relativas virtualiter distinctas ab absoluta, quia absoluta sufficit tribus personis ad existendum: ergo pariter sufficit ipsis subsistentia absoluta ad subsistendum, proindeque superfluum subsistentiæ relativæ. R. N. Conseq. Disparitas est, quod existentia faciat solum rem esse extrâ omnes causas, & extrâ nihil. Hoc ipso autem, quod personæ ponuntur semel extrâ omnes causas, & extrâ nihil per existentiam absolutam, non possunt poni per alias existentias, quæ idè sunt superflue, imò & impossibiles, ut probavimus; at verò subsistentia non solum habet dare perseitatem independentiæ, & constituere principium Quod actionum essentialium, sed etiam dare perseitatem incommunicabilitatis, & constituere principium Quod actionum notionalium: cum itaque subsistentia absoluta hoc utrumque ultimum conferre non possit, repetendum est a subsistentia respectiva.

Inst. Ideò existentia non potest altera existentia actuari, nec præter absolutam dari in Deo relativa, quia existentia est ultimus terminus nature in essendo; atqui subsistentia est etiam ultimus terminus nature in linea subsistenti: ergo R. D. Min. Subsistentia personalis est, &c. C. Min. Subsistentia præcisè absoluta, & essentialis, quæ non sit simul personalis, N. Hæc enim, cum non det perseitatem incommunicabilitatis, & principium Quod operationum personalium, non potest dici ultimus terminus nature in linea subsistenti. Vel dicas, quod sit ultimus terminus nature in linea subsistenti quoad rationem independentis & constituentis principium Quod actionum essentialium, non tamen quoad rationem incommunicabilitatis, & constituentis principium Quod actionum notionalium. Unde, cum sint diversæ rationis, non repugnat eas actuari ab invicem. Aliæ objectiones facilè solvi possunt ex principis positis.

ARTICULUS V.

De pertinentibus ad unitatem, vel pluralitatem in divinis quoad modum loquendi. D. Thom. Q. 31.

S. Thomas quest. 30. agit de pluralitate personarum, de qua nos abundè diximus in Dissert. Proemiali; unde, hæc questione hic prætermissa, querimus de modo loquendi circa hoc Mysterium quantum ad unitatem, vel pluralitatem. (Q. 31.

art. 2. o.) Cum enim ex verbis inordinate prolatis incuratur hæresis, idè, cum de Trinitate loquimur, cum cautela, & modestia est agendum; quia, ut dicit Aug. 1. de Trinit. c. 3. Nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid queritur, nec fructuosius aliquid invenitur.

Dico, & pro regula generali sic statuo cum nostro Bapt. Gonet. Quæ conveniunt personis ratione solius essentia, singulariter tantum dicuntur, quæ conveniunt eis solum ratione relationum, dicuntur tantum pluraliter: quæ tandem eis conveniunt ratione essentia, & relationum, dicuntur singulariter & pluraliter. Ratio huius Regulae patet; quia relatio multiplicatur in divinis, essentia autem manet una immultiplicata: ergo, quæ conveniunt personis ratione essentia, unitatem continent, & singulariter prædicantur; quæ conveniunt ratione relationum multiplicatur, & pluraliter prædicantur; quæ ratione utriusque coaveniunt, dicuntur singulariter quantenus conveniunt ratione essentia, pluraliter quantenus conveniunt ratione relationum. Ita etiam statuit Conc. Toletanum II. in professione fidei his paucis verbis: Hoc solum numerum insinuat, quod ad invicem sunt; & in hoc numero caret, quod ad se sunt.

Ex hac regula generali sequitur 1. dici tres personas in divinis, non unam personam, quia ratio personæ sumitur pro relatione subsistente. Idem dic de hypostasi, quæ communi sensu Ecclesie nunc sumitur pro persona. Secus de hoc vocabulo Individuum; quia in individuo natura dividitur, non in personis: (Q. 30. art. 4. o.) Persona enim pro significato formali importat personalitatem, & pro materiali naturam; e contra individuum pro formali significato importat naturam, & pro materiali personalitatem. Unde, sicut non multiplicatur natura in divinis, ita nec individuum; ideòque, licet dicantur tres personæ, non possunt tamen dici proprie loquendo tria individua; sicut nec tres dii, quia una est in tribus deitas. Possunt tamen dici tres divini, tres æterni, tres omnipotentes, tres boni, &c. si hi termini sumantur adjectivè, ut sumuntur in Concil. Lateran. 4. c. Firmiter, & alibi; quia ad multiplicationem nominis adjectivi sufficit multiplicatio suppositi, ut jam diximus, ita ut sensus sit: sunt tres habentes divinitatem, tres habentes omnipotentiam, &c. Secus autem, si sumantur substantivè, ut sumpsit Athanasius in Symbolo dicens: Non tamen tres æterni, sed unus æternus; quia ad multiplicationem nominis substantivi requiritur multiplicatio formæ, & suppositi. De quo iterum infra.

Sequitur 2. subsistentiam dici unam, & plures; quia subsistentia sumpta pro perseitate independentiæ convenit ratione nature, sumpta pro perseitate incommunicabilitatis convenit ratione relationis. E contra existentia dicitur singulariter tantum, quia convenit personis ratione essentia, ut probavimus.

Sequitur 3. entitatem, rem, realitatem singulariter, & pluraliter dici, scilicet una res, quæ est essentia, plures res seu realitates, quæ sunt Relationes, eo quod entitas, res, & realitas sumantur pro esse non ficto, sed rato; similiter ens concretè, si sumatur prout idem est ac habens entitatem, & opponitur nihilo, multiplicatur etiam substantivè, quia revera relationes sunt tria entia, tres entitates reales, & non fictæ. Si verò sumatur ens concretè, prout idem est ac habens essentiam vel existentiam, non multiplicatur substantivè, quia unica est essentia, vel existentia in tribus personis, sed tantum adjectivè, quatenus sunt tres habentes essentiam, vel existentiam. Et sub hac distinctione conciliantur sententiæ oppositæ de nomine entis. Neque dicas, relationes habere suas rationes formales, seu quidditates distinctas, & consequenter essentias distinctas. Non enim quæcumque ratio formalis dicitur proprie essentia, sed ea, quæ est natura totius subsistentis.

Sequitur 4. (Hic q. 31. art. 1. ad 3.) Deum posse dici trinum, non triplicem, seu in Deo esse Trinitatem, non triplicitatem; quia Trinitas, & similia in rigore sumpta denotant numerum in Deo secundum esse, seu naturam: triplex enim quasi triplicatum, seu triplicatum in esse. Trinus autem, seu Trinitas denotat præcisè numerum ternarium seu trium, qui revera reperitur in divinis. Potest tamen dici triplex persona, duplex processio; quia addendo persona, seu processio sufficienter excluditur multiplicitas nature.

Sequitur 5. (Ibid. art. 2. o. & ad 4.) quod Filius possit dici unum cum Patre, non unus; & e contra quod possit dici alius a Patre, non alius; quia nomen neutrum significat aliquid magis confusum, & informatum, masculinum autem magis formatum, & distinctum, sicut & femininum; & quia suppositum est magis informatum, & completum, quam natura, idè nomina neutra appropriantur nature, & masculina suppositis, seu personis. Dicitur itaque Filius unum cum Patre, non alius, quia est eadem utriusque natura. Dicitur alius, non unus quia diversæ personæ. Hinc etiam inferas, in divinis non multiplicari Tô aliquid; quia aliquid idem est ac aliud quid. Et quia (Ibid. 6.) utendo nominibus importantibus pluralitatem, vel uni-

unitatem facilè est declinare in alterutrum errorem oppositum, nempe, vel Atii, qui cum Trinitate personarum posuit diversitatem essentia; vel Sabellii, qui cum unitate essentia posuit unitatem Personæ; providè monet S. Doct. ad vitandum errorem Atii nos non debere usurpare hæc vocabula diversum, dispar, differens, alienum, discrepans, divinum, separatum, quia important diversitatem in natura. Possunt autem uti nomine distinctionis & distincti; quia hæc vocabula sunt maxime generalia, & communita, & significant tantum in communi aliquam distinctionem. Unde, ubi in quibusdam Patribus legis diversum, benignè interpretare distinctum. Ad vitandum errorem Sabellii vitanda sunt hæc vocabula, singularis, unicus, confusus, solitarius; quia distinctionem, & ordinem personarum tollere videntur, eoque sensu intelligebant, & usurpabant Sabelliani. Ubi tamen nullum esset erroris periculum, non foret culpandus, qui quædam ex recentibus vocabulis usurpare intendens unitatem, non personæ, sed nature significaret: unde legitur in actione 12. sextæ Synodi Singularitatem Deitatis.

Sequitur 6. hanc particulam exclusivam solus, si sumatur categorematice, hoc est, prout applicat suum significatum, nempe solitudinem, subjecto, ita ut idem sit ac solitarius, ac sine consortio, non habere locum in divinis. Unde hæc propositiones sunt falsæ, Deus est solus, Pater est solus, quia neque Deus, neque Pater est sine comitatu, seu consortio. Si verò ly solus sumatur sinecategorematice, hoc est, quod non applicet significatum suum subjecto, sed denotet ordinem prædicti ad subiectum, & sit præcisè exclusiva, habet locum in divinis, ut si dicas: solus Deus est æternus; sensus est, quod æternitas non conveniat aliis a Deo.

Advertendum (Hic q. 36. art. 2. ad 1.) tamen, quod, dum coniungitur termino personali, excludantur aliæ personæ quantum ad ea solum, in quibus habent oppositionem relativam, per quam solum distinguuntur; non verò quantum ad ea, in quibus non habent talem oppositionem, cum in eis sint unum & idem. Unde, cum dicitur, solus Pater generat, excluditur Filius, & Spiritus S. quia in generatione Pater habet oppositionem relativam immediatè cum Filio, ut dicitur est, & mediatè cum Spiritu S. ut dicemus infra. Dum autem dicitur: solus Pater cognoscit Filium, seu ut dicitur Matth. 11. Nemo novit Patrem, nisi Pater; non excluditur propterea Filius, vel Spiritus S. quia in huiusmodi notitia non habent oppositionem; sed una, & eadem est in omnibus.

ARTICULUS VI.

De Notionibus Divinis. D. Th. Q. 32.

S. Thomas art. 1. huius Questionis docet, mysterium SS. Trinitatis non posse ulla ratione naturali investigari, aut cognosci, quod nos probavimus in Dissert. Proemiali art. 4. requiritur ibi. Deinde tribus articulis sequentibus agit de notionibus, seu notis, quibus divinæ personæ cognoscunt, & inter se discerni possunt.

Notio (Q. 32. art. 2. & 3.) in divinis nihil aliud est, quam propria ratio cognoscendi divinam personam, vel ut alii dicunt, ratio objectiva notificans personam: unde notio concipitur ut forma abstracta, quæ veluti nota, & caractere una persona ab aliis distinguitur, & dignoscitur; ita ut, sicut dicimus Deum Deitate, vel essentia esse unum, si dicimus Patrem Paternitate constitui, & a Filio distingui.

Tria (In 1. d. 26. q. 2. art. 3. o.) requiruntur ad veram rationem notionis divinarum Personarum: 1. quod ad originem pertingat; quia personæ constituentur, & distinguuntur solis relationibus in origine fundatis: 2. quod pertineat ad dignitatem, non quod sit necessarium in se dignitas, sed saltem dignitatem denotet; quia persona est nomen dignitatis, scilicet subsistens in natura intellectuali: 3. quod sit aliquid speciale; quia quod est commune tribus personis, non est sufficiens ratio dignoscendi, & discernendi unam ab alia.

Quamvis (Ibid.) autem relatio, proprietas, & notio in divinis sint una, & eadem res, seu formalitas, absque virtuali distinctione, nam Paternitas, v. gr. est relatio, est proprietas Patris, est ejus notio; id tamen est discriminis inter illas, quod relatio huic rei, seu formalitati competat per respectum ad correlativum, proprietas per respectum ad personam, cuius est proprietas, notio per respectum ad intellectum, cui manifestatur persona. Unde prius intelligitur respectus ad terminum, deinde ratio proprietatis, ultimo ratio notionis; quia nihil potest esse ratio manifestandi unam personam, nisi sit illi proprium, & non potest esse illi proprium, nisi ab aliis distinctum, distinguitur autem per relationem. His notatis,

Dico: Sunt (Ibid. & hic art. 3. o.) in divinis quinque notiones, non plures, nec pauciores, scilicet innascibilitas, Paternitas, Filiatio, Spiratio activa, & passiva, seu Processio. Theol. Billuani. Pars Prima.

Prob. (Ibid.) Quinque assignatis, non pluribus, nec paucioribus, conveniunt tres conditiones requisitæ ad veram notionem: ergo Prob. Ant. Licet innascibilitas præ se ferat negationem, denotat tamen, & circumloquitur summam dignitatem, nempe esse a nullo, sed esse a se, & caput ac fontem divinæ emanationum: insuper est Patri propria, quia per innascibilitatem non intelligimus tantum negationem generationis, sed omnis omnino processionis ab alio, quod soli Patri convenit: tandem pertinet ad originem negativè, eo modo scilicet quo negatio reductivè pertinet ad genus affirmationis, ut non homo ad genus hominis. De Paternitate res patet; est enim propria Patri, significat ejus dignitatem, & pertinet ad originem. De Filiatione similiter; importat enim perfectionem, propriam Filio, fundatam in origine, per quam constituitur, & ab aliis personis seceratur: idem de Spiratione passiva, seu processione respectu Spiritus S. Spiratio est activa, licet sit perfectio communis Patri, & Filio, est tamen ipsis propria respectu Spiritus S. ergo.

Dices 1. Innascibilitas in Patre; vel sumitur formaliter pro negatione, vel materialiter pro ejus fundamento: si primum dicitur, non potest esse notio; sic enim est pura negatio, negatio autem non explicat dignitatem. Si secundum, sequitur quod innascibilitas non sit notio distincta a Paternitate; quia Paternitas est ipsum fundamentum innascibilitatis: ergo R. Quidquid sit de 2. membro, de quo disputant Theologi dico, quod innascibilitas hic sumatur formaliter pro negatione omnis principii a quo; & ad Prob. D. Negatio non explicat dignitatem formaliter, & directè, C. circumloquitur, & a posteriori, N. hoc ipso enim, quod Pater est, & non est ab ullo alio, statim sequitur, quæ sit a se, & quod sit fons, & origo aliarum personarum, quod est maxima dignitas: non requiritur autem ad notionem, ut jam observavimus, ut sit in se dignitas, sed sufficit, quod dignitatem notificet saltem a posteriori, & circumloquitur: sicut, licet necessario pertinere debeat ad proprietatem personalem, non tamen requiritur, quod sit proprietas personalis, sed sufficit quod illum notificet. Nec mirum videri debet, quod illum prinatum, & summam dignitatem Patris termino negativo significemus, siquidem alias Dei perfectiones positivas terminis etiam negativis sæpe exponamus, ut cum dicimus eum infinitum, ineffabilem, immutabilem, &c. Adde, quod perfectiones infinitas melius cognoscimus removendo imperfectiones, quas penetrare possumus, quam asserendo perfectiones, quas satis profundere non valeamus; nec sanè melius cognoscimus aliquem esse primum, quam cum dicimus eum non supponere ullum alium.

Inst. Si notio consistere possit in negatione, plures erunt, quam quinque assignatæ, scilicet inspirabilitas respectu Filii, innascibilitas, seu ingenerabilitas, item & improductio seu negatio virtutis productivæ respectu Spiritus S. his enim tanquam propriis dignoscuntur Filius & Spiritus S. ergo R. N. Ant. quia nihil ex his denotat dignitatem; id patet de negatione virtutis productivæ: patet etiam de inspirabilitate & innascibilitate; sumptis non pro negatione processionis, qualem ponimus in Patre, sed pro negatione processionis via generationis per intellectum, qualis convenit Spiritui S. & pro negatione spirabilitatis per voluntatem, qualis convenit Filio. Supposito enim quod aliquid aliquo modo producat, ex eo quod non producat per intellectum, seu voluntatem, nullam idè denotat vel exprimit dignitatem: sic omnes creature, quantumvis imperfectæ, non producantur neque per generationem, neque per spirationem, sed per creationem, ipsisque idè competunt inspirabilitas & ingenerabilitas, seu innascibilitas hoc sensu; & tamen inde nulla in ipsis dignitas, vel excellentia denotatur.

Dices 2. Ratio imaginis & verbis respectu Filii, ratio doni & amoris respectu Spiritus S. sunt rationes ipsis propriæ, quibus dignoscuntur: ergo notiones. (Hic q. 34. art. 2. ad 3.) R. D. Conseq. ergo & notiones indistinctæ a Filiatione & processionem, C. distinctæ, N. Fateor itaque, hæc nomina convenire respectivè Filio & Spiritui S. non tamen constituere diversas notiones, quia includuntur in adequata ratione Filii & Spiritus S. quæ indiget pluribus nominibus ut explicetur: sic Filius, ut ostendatur consubstantialis, dicitur Filius; ut ostendatur omnino similis, dicitur imago; ut ostendatur coæternus, dicitur splendor; ut immaterialiter genitus, dicitur Verbum: non potuit autem unum nomen inveniri, per quod ista omnia designarentur. Idem dic proportionaliter de Spiritu S.

Obj. 3. Generatio in Patre, & nativitas in Filio dignitatem important, & Patrem ac Filium notificant: ergo sunt notiones. R. N. Conseq. quia tam generatio, quam nativitas, vel considerantur in recto, & sic sunt quid absolute totum Trinitati commune, adeoque non notio. Vel in obliquo, & sic sunt ipsæmet relationes Paternitatis & Filiationis, adeoque non distinctæ notiones.

COROLLARIUM

De Proprietatibus, potentis, & actibus notionalibus.

Ex (In 1. d. 26. q. 2. art. 3. o.) dictis colliges, licet notiones sint eadem formalitas cum relationibus, & proprietatibus sub diverso respectu, ut observavimus initio articuli, non omnem tamen notionem esse proprietatem, aut relationem: etenim Spiratio activa, licet sit notio Patris, & Filii respectu Spiritus S. non est tamen proprietas saltem simpliciter, quia non est propria uni personae, sed duabus communis; & innascibilitas, quae est etiam notio, non est relatio, & licet sit simpliciter proprietas Patris, seu personae, non est tamen proprietas personalis, quia non est ejus constitutiva in ratione personae, quod intelligimus per proprietatem personalem.

Unde habes, quod, licet sint quinque notiones assignatae, sunt tamen tantum quatuor proprietates simpliciter, nempe innascibilitas, Paternitas, Filiatio, & Processio; tres proprietates personales, Paternitas, Filiatio, & Spiratio passiva, seu

Processio; & quatuor relationes, Paternitas, Filiatio, Spiratio activa, & passiva.

Petes, quod sunt actus notionales?

R. Esse duos, scilicet generationem, & spirationem activam; quibus respondet duplex potentia notionalis, generativa scilicet, & spirativa. Hi autem actus notionales nihil aliud sunt, quam actus intelligendi, & volendi essentialiter modificati relationibus; unde in recto important quid absolutum, & in obliquo relationem, ut in praecedentibus diximus, dum de processionibus. Idem dic de potentis notionalibus, quae nec virtualiter distinguuntur ab actibus, utpotè quae sunt actus purissimi, & ad eandem lineam pertinent; nec tam debent dici potentiae ad actum, quam ad terminum a se distinctum.

Petes insuper, quod sunt nomina notionalia?

R. Esse tria cuilibet personae propria: Primae, Pater Ingenitus, seu Innascibilis, & Principium. Secundae, Filius, Imago, Verbum. Tertiae, Spiritus, Donum, & Amor; de quibus S. Th. infra.

DISSERTATIO V.

DE PERSONIS DIVINIS IN PARTICULARI

D. Thom. a Quæst. 33 ad 38.

ARTICULUS I.

De Persona Patris.

Quæritur 1. Utrum Patri competat esse principium? Ante responsonem nota, nomen principii in divinis dupliciter sumi, vel essentialiter respectivè ad creaturas, vel notionaliter, prout tribuitur uni personae respectivè ad aliam. Quo notato, R. 1. Si nomen principii sumatur essentialiter respectivè ad creaturas, est commune tribus personis; quia esse principium creaturarum convenit Deo ratione omnipotentiae, quae est communis tribus personis; unde vulgatum axioma, Opera Trinitatis ad eandem sunt indivisa. R. 2. (Q. 33. art. 1. o.) Si nomen principii sumatur notionaliter, specialiter convenit Patri; quia hoc nomen principii nihil aliud significat, quam id, a quo aliquid procedit; omne enim, a quo aliquid procedit, quocumque modo procedat, dicimus esse principium; atqui Pater est id, a quo procedunt Filius, & Spiritus S. & ipse a nullo procedit, unde est principium sine principio: Filius autem, licet ab illo procedat Spiritus S. ipse tamen procedit a Patre, unde est principium cum principio: ergo.

Dices: Idem sunt esse principium, & causam; atqui non dicimus, Patrem esse causam Filii: ergo.

R. Quod (Ib. ad 1. q. 10. de pot. art. 1. ad 8. & opusc. 1. cap. 1.) Graeci utantur in divinis indifferentè nomine causae & principii: Latini verò rarò utuntur nomine causae, sed communiter nomine principii propter varias rationes. 1. Quia Pater non potest intelligi causa Filii per modum causae formalis, vel materialis, vel finalis, sed solum per modum causae originantis, quae est causa efficiens; hanc autem semper invenimus secundum essentiam esse diversam ab eo, cujus est causa; causam namquè dicimus, ad quam sequitur aliud. 2. Quia apud Latinos causae respondet effectus, nulla autem persona divina est facta. 3. Quia apud Graecos Philosophos nomen causae dicitur de Deo designat ipsius habitudinem ad creaturas. Dicunt enim, Deum esse primam causam, & creaturas esse ejus causata. Igitur, ne aliquis Filium, aut Spiritum S. inter creaturas secundum essentiam a Deo diversas suspiciet esse ponendos, nomen causae non usurpamus in divinis, sed nomen principii, quod communis est, & generaliter significat id, a quo aliquid est, quoquo modo sit, etiamsi non sit ab illo effectum, nec ullam cum eo diversitatem habeat essentialiter: sic id, a quo incipit motus, dicitur ejus principium, non causa: sic punctum dicitur principium lineae, non causa.

Ceterum, (Ibid.) quando Graeci utuntur in divinis nomine causae, non sumunt causam, sicut nos, strictè prout efficit, & habet aliquam diversitatem essentialiter ab effectu, sed prout significat id, a quo aliquid est, quoquo modo sit; & hoc sensu dixit Philosophus 4. Metaphysicorum textu 3. Principium, & causam se invicem consequi. Item eodem sensu Patres Concilii Florentini, in quo agebatur de unionem Graecorum, & Latinorum sess. ultima differunt, Patrem esse causam Filii. Hæc autem diversitas inter Graecos, & Latinos oritur ex diversitate idiomatum; aliquid enim inconvenienter dicitur in lingua latina, quod in

graeca propter proprietatem idiomatis potest convenienter dici.

Inst. Si Pater est principium Filii, sequitur Filium esse principium, quod non nisi creaturis videtur competere. (Hic cit. ad 2. & q. de pot. cit. ad g.) R. Quamvis Graeci hoc etiam modo loquendi utantur, & possit apud sanè intelligentes concedi, id tamen non est in usu Doctorum Latinorum, quia esse principium videtur importare aliquam inferioritatem & minorationem; id autem, quod importat aliquam minorationem, refugium in divinis, propter Arianorum errorem. Unde, licet dicamus Patrem principium, non dicimus tamen Filium principium, juxta illud Hilarii q. de Trinit. Donantis auctoritate Pater major est; sed minor non est Filius, cui unum esse donatur.

Repones: Nomen principii a prioritate sumitur; sed in divinis non est prius & posterius: ergo.

R. Quod (Hic cit. ad 3. & de pot. cit. ad 10.) licet hoc nomen Principium, quantum ad id a quo imponitur, videatur a prioritate sumptum, non tamen imponitur ad significandam prioritatem, sed originem; unde licet Pater non sit prior Filio, est tamen ejus principium.

Quæritur 2. Utrum hoc nomen Pater sit proprium primae personae divinae? (Hic art. 2. o.) R. affirmative. Pater 1. ex illo Ps. 88. Ipse invocabit me, Pater meus est tu. Patet 2. ratione: quia nomen proprium cujuslibet personae significat id, per quod illa persona ab aliis distinguitur; atqui id, per quod prima persona divina ab aliis distinguitur, est Paternitas: ergo hoc nomen Pater est illi proprium.

Dices: genitor, seu generans est nomen communis quam Pater, nam omnis Pater est generans, non e converso; atqui nomen communis magis propriè dicitur in divinis, quia minus determinat, & restringit immensum divinitatis pelagus, ut docet S. Th. supra q. 13. art. 11. ergo. (Ibid. ad 2.) R. D. Mir. Nomen communis magis propriè dicitur in divinis, cæteris paribus, C. cæteris imparibus, N. hic autem cætera non sunt paria; quia genitor seu generans significat personam, prout concipitur in fieri, & ut via ad habendum filium: Pater autem significat personam secundum complementum generationis, & ut jam habentem filium; denominatio autem rei debet fieri ab eo, quod est in ea perfectius. (Infr. q. 40. art. 2. o.) Adde, quod genitor seu generans significat proprietatem tantum, & non hypostasim; Pater autem significat proprietatem & hypostasim, quia significat relationem, qua constituitur hypostasis. Et hinc docet Auctor 3. p. q. 66. art. 5. ad 7. Baptismum collatum in nomine genitoris & geniti, esse invalidum.

Quæritur 3. Utrum esse ingenitum sit proprium Patri. (Hic a. 4. o. & ad 2.) R. affirmative: quia nomine Ingeniti hic non intelligimus, quod non est ab alio per generationem; sic enim conveniret etiam Spiritui S. Sed intelligimus, quod omnino non est ab alio, sive per generationem, sive alio quoquoque modo, seu quod est omnino improductibile; sic autem ingenitum est proprium Patri, quippè est principium sine principio, Filius principium cum principio, Spiritus S. principium ab utroque.

Quidam hic magna contentione disputant, an ingenitum constituatur in ratione notionalis per aliquid positivum, vel per

aliquid negativum? Cui Quæstioni breviter & simpliciter R. cum Auctore (Ibid. ad 1.) quod secundum Aug. 5. de Trinit. cap. 7. Ingenitum negationem generationis, seu productionis passivè importat; nec propriè hoc sequitur, quod ingenitum non debeat poni notio Patris; quia prima & simpliciter per negationem notificatur: sicut dicimus punctum esse, cujus non est pars. Confer art. præci. in Resp. ad 1. Obj.

ARTICULUS II.

De Persona Filii. D. Thom. Q. 34. & 35.

Inter (Hic q. 34. in præm.) varia nomina, quibus insignitur secunda Trinitatis persona, tria sunt præcipua, scilicet Filius, Verbi, & Imaginis. Quamvis hæc tria sint omnino unum & idem absquè virtuali distinctione, distinguuntur tamen per modum significandi, & ordinem ad diversa connotata extrinseca. Filius dicitur respectivè ad patrem. Verbum respectivè ad intellectum, cui manifestat res cognitæ. Imago respectivè ad principium, quod imitatur. Ratio Filii ex ratione Patris consideratur, & intelligitur. Unde restat considerandum de Verbo & Imagine.

Quæritur 1. utrum Verbum in divinis sit nomen personale, an essentialè?

Ant. (Ibid. o.) responsonem nota, verbum in nobis tribus modis propriè sumi; quarto modo impropiè & metaphoricè. 1. Sumitur propriè pro conceptu mentis, quo mens interius secum loquitur, seu pro termino intellectiōnis res intellectas representantè & significante. 2. Pro voce oris, qua quis exterius manifestat, quod interius concipit. 3. Pro imaginatione, qua quis imaginatur vocem significativam, est exterius non exprimat. 4. Modo sumitur impropiè & metaphoricè pro eo, quod verbo exteriori significatur, seu efficitur; sicut consuevimus dicere, hoc est verbum quod dixit, vel quod mandavit Rex, demonstrato aliquo facto, quod verbo significatum est, vel simpliciter enuntians, vel etiam imperans. In Deo autem propriè sumitur verbum primo sensu tantum, pro conceptu mentis, seu termino intellectiōnis divinae, res intellectas significante & representantè; cætera autem verba in eo metaphoricè tantum sumunt, utpotè quodam modo corporea & externa. His notatis,

R. Verbum (Ibid.) propriè dicitur in divinis est nomen personale, & nullo modo essentialè; quia Verbum propriè dicitur in divinis significat aliquid ab alio procedens: est enim conceptus mentis, de ratione autem conceptus est, quod procedat a concipiente; atqui, quod significat aliquid ab alio procedens, est personale & non essentialè, eo quod Personae divinae distinguantur pro origine: ergo.

Dices 1. Amor dicitur essentialitè in divinis: ergo & Verbum. Prob. Conseq. sicut Verbum dicit emanationem ab intellectu, amor dicit emanationem a voluntate: ergo. (Infr. q. 37. art. 1. o.) R. N. Conseq. Ad Prob. Disparitas est, quod amor sit nomen commune ad significandum tam actionem precedentem a voluntate, quam ejus terminum propter vocabulorum inopiam: Verbum autem tantum significat terminum per intellectiōnem productum, non ipsam intellectiōnem. Unde fit, quod amor sumatur essentialitè & personalitè; Verbum autem personalitè tantum.

Inst. Juxta Aug. 9. de Trinit. cap. 10. Verbum est notitia, juxta Anselm. in Monit. cap. 31. 32. 34. est cogitatio & intuitus; atqui cogitatio, intuitus, & notitia sunt actus intellectus, & dicitur essentialitè: ergo. (Hic q. 24. art. 1. ad 2.) R. Aug. & Anselm. non sumere cogitationem, intuitum, & notitiam pro actu intellectus cognoscentis, vel pro aliquo ejus habitu, sed pro eo quod intellectus concipit cognoscendo, unde Aug. 7. de Trinit. cap. 2. dicit, quod Verbum est sapientia genita.

Dices 2. De ratione Verbi est, quod dicitur; atqui secundum Anselm. in Monolog. cap. 58. Sicut Pater est intelligens, et Filius est intelligens, et Spiritus S. est intelligens; Ita Pater est dicens, Filius est dicens, et Spiritus S. est dicens, et similitèr quilibet eorum dicitur: ergo nomen Verbi dicitur essentialitè in divinis de tota Trinitate, & non personalitè de una tantum.

R. Quod (Ib. ad 3. et q. 9. de pot. art. 9. ad 8.) dicere sumi possit dupliciter: Uno modo propriè, secundum quod dicere idem est quod intelligendo verbum formate, seu concipere: alio modo impropiè, prout nihil est aliud, quam simpliciter intelligere, & hoc sensu sumit Anselm. Sic autem sumptum dicit solam habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in qua habitudine nulla ratio originis importatur; quando enim intelligo lapidem, lapis non procedit a meo intellectu, nec meus intellectus a lapide; & idem intelligere simpliciter non dicitur notionalitè in divinis, sed essentialitè. At dicere propriè importat principalitèr habitudinem ad verbum dictum, & a dicente productum, unde importat ordinem originis, idè quod dicitur notionalitè, non essentialitè. (Hic cit. ad 3. et q. 4. de verit. art. 2. Theol. Billuart. Pars Prima.

ad 3.) Ex quo sequitur, quod sit tantum unus dicens propriè, nempe Pater: nec tamen paritèr sequitur, quod sit tantum unum dictum, nempe Filius: sicut enim quando nos dicimus, duo dicimus, primo verbum, deinde res intellectas, & significatas per verbum; ita Pater se & alia intelligendo primo dicit verbum, deinde res intellectas & significatas per verbum: unde, quamvis solus Filius dicatur ut verbum; tota tamen Trinitas, & alia, quae Pater intelligit, dicuntur ut verbo intellecta & significata. Hinc distingui potest Major propositio argumenti: de ratione verbi est, quod dicatur primario & ut verbum, C. secundario & ut res verbo intellecta, N.

Quæritur 2. Utrum Verbum sit nomen proprium Filii? (Hic q. 34. art. 2. o.) R. affirmative; quia Verbum propriè dicitur in divinis significat quamdam emanationem intellectus; atqui persona, quae procedit in divinis per emanationem intellectus, dicitur Filius; & hujusmodi processio dicitur generatio, ut supra ostensum est: ergo.

Quæritur 3. Utrum Imago in divinis dicatur personalitèr? Antè responsonem nota? Imago est similitudo ad representandum expressa ex eo, cujus est imago: unde ad veram & propriè dictam imaginem duæ conditiones sequuntur. Prima, ut sit similis, non solum in genere vel in aliquo analogo, aut accidentibus communibus, sed in specie vel in signo speciei: unde vermiculi erupentes ex homine non sunt imagines hominis, neque paries dealbatus est imago hominis albi; quia non sunt similes homini in specie, vel in signo speciei, sed in genere, vel in accidente communi. Secunda conditio est, quod hæc similitudo originem trahat, seu sit expressa ex eo cujus est imago, idque vi & modo processionis; cujus defectu ovum, quantumvis sit simile alteri ovo, non tamen est imago illius. Si petas, quomodo tabella representans Cæsarem sit imago Cæsaris, cum a Cæsare non sit expressa; nec originem ducat: R. quod sit a Cæsare, ut est in idea pictoris, seu est a pictore, quatenus est Cæsar ideatus. Imago potest triplex distingui: una artificialis, quae importat similitudinem, non in natura specifica, sed tantum in signo speciei, ut statua, vel tabella; & hæc est imperfecta imago. Secunda intentionalis ut species expressa, quae importat similitudinem, non tantum in signo nature specificæ, sed in ipsa natura specificæ, non tamen sub modo essendi naturali, sed intelligibili; & hæc est perfectior prima. Tertia naturalis, quae importat similitudinem in natura & modo essendi naturali, ut Filius respectu Patris; & hæc est imago perfecta. Erit autem perfectissima, si sit eadem numero natura in Patre & in Filio, ut contingit in divinis. Ex his ad questionem (Q. 35. art. 1. o.) R. nomen imaginis in divinis est nomen personae; quia ad hoc, quod aliquid sit verè imago, requiritur, quod ex alio procedat ei simile in specie vel in signo speciei; atqui, quod importat processionem, vel originem in divinis, est personale: ergo.

Quæritur 4. Utrum nomen imaginis sit proprium Filio? (Ibid. art. 2. o.) affirmative cum Patribus Latinis contra Patres Graecos. (Ibid.) Prob. 1. Quia nomen imaginis non reperitur in Scriptura dictum, nisi de Filio: ad Coloss. 1. Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus creaturae: Et ad Hebr. 1. Qui cum sit splendor gloriae, & figura substantiae ejus. 2. Quia, licet Spiritus S. sit similis Patri, & Filio in natura, hanc tamen similitudinem non habet formalitèr vi suae processionis, sed identitèr tantum, quia est amor divinus; Filius autem, quia procedit ut verbum, habet formalitèr vi suae processionis, quod sit similis Patri. Confer Diss. 2. art. 5. ubi haec rationem fuse expendimus.

Dices 1. cum Patribus Graecis. Ad Rom. 8. dicitur: Praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui. Quid est autem imago Filii, nisi Spiritus S. Et I. ad Cor. 15. Sicut portavimus imaginem terreni, portemus imaginem caelestis. Per imaginem caelestis intelligitur paritèr Spiritum S. R. ad 1. locutionem esse intransitivam, ita ut intelligatur de imagine, non quae sit alia a Filio, sed quae sit ipsemet Filius; & sensus sit: conformes imaginis suae, quae est Filius suus. Ad 2. sensus est: Sicut portavimus imaginem terreni Adami in peccatis, portemus imaginem caelestis Adami in virtutibus. (Opusc. 1. cap. 10.) vel pro reverentia Patrum Graecorum dic, Spiritum esse imaginem Patris & Filii, intelligendo imaginem lato sensu pro similitudine in natura, quamvis hanc similitudinem vi suae originis formalitèr non habeat.

Dices 2. cum Durando: Filius non est similis Patri ratione essentiae, quia sic est identitas; neque ratione relationis, quia sic opponuntur. Item, si Filius esset imago Patris, idè quia illum representat; atqui etiam creaturas representat: ergo. R. ad 1. Filium esse similem Patri ratione essentiae, & relationis simul; quia de ratione similitudinis est, quod in aliquo conveniant, & in aliquo differant: nam, si in omnibus convenirent, esse identitas, & non similitudo; & si in omnibus differant, esse diversitas: Pater autem, & Filius conveniunt in na-